

*Napoleo in Sancta Helena insula
captivus secum loquitur*

CARMEN LATINUM

PRAEMIO CANCELLARI DONATUM

ET

IN THEATRO SHELDONIANO RECITATUM

A.D. IX. KAL. IUL. MDCCCIX.

SCRIPSIT

JOHN NOEL DARK

COLL. BY JO. FAF. SCHOL.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

OXONII

B. H. BLACKWELL

MDCCCIX.

YHABU!
RORU. OROHATS OHA.B!
YHABU!

NAPOLEO IN SANCTA HELENA INSULA CAPTIVUS SECUM LOQUITUR.

LINES 1-52—Incipit dicere, in quantum miseriarum e rebus quam prosperis dejectus sit. 53-107—Lamentatur, quod neque in proelio intra Russorum fines facto, neque postea in Gallorum clade apud Belgas accepta, honeste occumbere sibi contigerit. 108-139—Immerito se tantum malorum subire adfirmat, quippe qui non solum bella sed etiam libertatem Europæ populis, jamdin paucorum dominationi obnoxiiis, intulerit. 140-177—De Galliae calamitatibus conqueritur, tertium annum hostibus subjectae, et de salute ejus futura auguratur. 178-202—Sepulchrum in urbe Gallica precatur, ut secundis patriae temporibus et ipse hominum memoria teneatur.

VIDIMUS Europae populos vexilla trementes
Gallica, et imperio sublatum in sidera nomen :
Vidimus et casus urbis, non amplius urbis
Reginae, miseram per debellata furentem
Arva luem, partiaequae immissa examina Martis ;
Quidquid inest laeti Fortunae, quidquid amari,

Pertulimus. Cui parvus erat maiora petenti
Ipse triumphato terrarum terminus orbe,
Ecce, manus olim sceptri rerumque potentes
Hos intra fines, spatio hoc includere terrae
Jam cogor, superis postquam domitare sub hoste
Gallorum placuit vires. Huc navibus actum
Hesperios ultra tractus divique columnas
Milite circumdant hostes, ubi litore tellus
A patrio distans alienam intercipit undam,
Et dedit inclemens parvam indulgentia sedem.
Haec suprema viri requies, qui maximus armis
Europaeque Asiaeque suum per regna per urbes
Personuit nomen. Melius per honesta perisse
Vulnera, nec semper gestis et imagine pasci
Reliquias famae memori sub corde foventem.
Taedet enim caeli, taedet renovare dolores
Dum per aperta locorum erro, dum rara tuenti
Apparet de colle ratis: quam fingimus oram
Nos desiderio tantum, felicior illa
Aspiciet. Luctus juvat imo et membra recessu
Condere, ne mentem longe dispectus in alto
Velorum color angat, et implacabilis unda.
Sed nil saxa valent, sed nil penetralia tecti
Pectore mansuri simulacra arcere pudoris;
Haeret enim mordax, maerore silentia noctis

Intempesta morans longo, gliscitque per umbras,
 Nec cedit soli, quotiens Aurora colores
 Prima trahit reduces. Sed quae medicina laborum,
 Quae speranda quies, captivi donec acerbans
 Corda dolor vivit, necdum vestigia regni
 Decedunt animo multa olim caede parati?
 Haec nunquam relevant emensae obliviae sortis
 Pectora, sed semper lapsas revocamur in horas;
 Multa redit rerum facies: iterare videmur
 Bellorum casus, et in hostes itur eosdem.
 Tum veteres ardent irae, tum flammea mentem,
 Desidia non sponte gravem solitoque carentem
 Robore, percurrit rabies, lassosque per artus
 Aestuat; haud aliter, cum condidit Hesperus agros
 Nocte, silet nullo fatus nutrimine fornax:
 Exstinctum credas: subitus sed nascitur ardor
 E cinere, et tenebras jam jam fugiturus et ipse
 Vincit, et e magnis parvi superare calores:
 Sic in corde faces flagrare et abire; relinquunt
 Vinculaque invidiamque pati, languentia membra,
 Gestarum cineres maestos monumentaque rerum.

Nam quid ago? Quae cura manet producere vitam,
 Hostilis veniae donum? Quo corde tueri
 Externos patiar vultus, quo tangere terram
 Externam pedibus? Languet desueta triumphis

Dextera quae populis sparsit tot fulmina victrix,
 Nec dabitur rursus reserare volumina belli.
 *Bis data meta mihi rerum, insignique parare
 Morte decus, nomen multo pretiosius auro :
 Bis turpem egregio mutavi funere vitam.
 Fertilis o luctu tellus, o causa malorum,
 Impasto Boreae qua non dilectior ulla est,
 Sarmaticae sedes, utinam mihi fata dedissent
 Occubuisse, nives istas quo tempore vidi
 Discretas sanie, lateque exuta colore
 Arva suo, comitumque informem sanguine praedam,
 Et dementem infausta dedit victoria leto.
 At mala juncta malis divi ostendere, ruentis
 †Letiferos ignes urbis, vexilla superbi
 Tandem experta modum cursus, hiemisque pericla
 Emensas iterum nuper vitata cohortes,
 Signatamque viam lapsis galeaque viroque.
 Ille dies primus generavit semina fato
 Feta malo, brumae cum debellare rigorem
 Arctoamque famem laevis temptare paravi
 Ominibus. Divos patriae sentire malignos

* Napoleon at St. Helena expressed a wish to have died either at Borodino, before the burning of Moscow and the retreat from Russia, or at Waterloo.

† The capture of Moscow was "the farthest flight of the Eagles."

Tum licuit, superumque mei sibi conscia leti
 Numina : sed fallax hominum, sed inutile, pectus,
 Nec Nemesin fraudare potest.

Ferrum igne probandum,

Adversis spectanda fides. Quanta ille per urbes
 Gaudia, quanta odii veteris vestigia casus
 Condita detexit ! Dominum palpare periti
 Quam subito fortes titubantem trudere certant !
 Haud secus in silvis inritat dente minacem
 Circumfusa suem rabies latransque canum vis,
 Eminus : at laterum crates si forte secundo
 Venator jaculo perrupit, faucibus instant
 Scilicet audaces. Dejectus culmine rerum
 Fallere sed potui frenum et discrimina ponti
 Fortunaeque vices iterato mittere cursu
 In praeceps ! Aegre notam dediscit arenam
 Quisquis Olympiaco turpatus pulvere victor
 Lauriferos direxit equos. Mox altera busta,
 Altera di nobis struxerunt fata malumque,
 Qua resides rapuere nova in discrimina gentes
 Per juga Belgarum raucae revocata sonantes
 Arma tubae, et contra cinctas adamante catervas
 Gallus eques ruit et tanta res Gallica mole
 Imperioque valens. Decuit cum milite sortis
 Extremae socium fatis fata, ossibus ossa,

Immiscere ducem, nec tales plangere captum.
 *At comitum male fida fides meliora petentem
 Infaustis precibus vetuit, risusque daturum
 Servavit dominis. O terque quaterque beati,
 Quis nunquam patriae clades calcataque signa
 Flere fuit fatum laudata morte peremptis!

Multum aliam vero sortem promittere visa
 Sidera, cum varias augusti temporis ausus
 Solus adire vices fortunam e gurgite rerum
 Supremam rapui rabidaque furentia turba
 Moenia Gallorumque genus dicione coegi.
 Quae, superi, tantis commissa piacula poenis
 Castigare juvat? Vel quae mi crimina dantur?
 An vitio est, enses civili caede tepentes
 Sistere, ne patriam perdant sedesque parentum,
 Assuetaeque diu paucis se subdere mores
 †Europae fovisse novos? an corda levasse
 Languida segnitie caeca, contusaque regni
 Pondere? Quippe deis gratum est frenare tumentes.
 At mihi non merito mala tanta haurire dederunt,
 Qui patrio fastu saevos opibusque potentes
 Primores docui subjectae parcere plebi,

* Napoleon was prevented by his staff from dying with the remnant of the Old Guard at Waterloo.

† For Napoleon as the destroyer of the feudal system, cf. *Camb. Mod. History*, Vol. IX., pp. 169—70.

Nec vinclis et servitio vexare perenni
 Permisi cupidis. Multo miscere cruore
 Proelia, multa armis violare, atque urbibus ensem
 Immisisse ferum et flammam mihi contigit olim;
 Sed graviora gravi tabem et contagia ferro
 Me duce purgavit penitus vis Gallica victrix,
 Mordacique etiam fessos robigine vincli
 Sanavit populos. Nil haec in tempora natum,
 Haec in fata, morae verborum ambage loquaces,
 Nil laquei linguae, nil pax inhonesta decebant,
 Sed gladio nostraque manu crebrescere mundo
 Libertas toti potuit. Non inquinor omnis
 Dedecore, o superi: mereor non omnia maesta:
 Quippe tyrannus eram: cui non est ipsa tyranno
 Mors levior vinclis? Sed nos sors acrior urget:
 Vivimus: infamique jugo manet empta senectus.

At pudet illa tui memorem plorare doloris,
 Gallia: te fletu doleo, deflendus et ipse,
 Te, quae poste vides tandem derepta tropaea,
 Praemia bellando multos quaesita per annos,
 Semirutasque arces, lapsisque haerentia muris
 *Gramina, dum totiens tabescunt arva sub hoste
 Barbarico nudaeque abrepto vindice vites.

* France was occupied by foreign troops for three years after
 1815.

Tu, dum vitae aliquid manet in suspiria, fleris,
 Carior absenti, quae mi carissima rerum
 Semper eras, et ades menti, quandoque priorum
 Sollicitant umbrae circum praecordia fusae :
 Et meminisse juvat, terram ut tua vicerit omnem
 Gratia. Sed liquido mulcet non amplius ullos
 Frigore balantes rivi pellucidus error :
 Cessit honos pecoris, rarusque exercet agrestis
 Spem segetum ; felix, quem non invidit aratro
 Martis opus saevum, caedesque infestior hoste
 Mutua civilis fraterno funera miscens
 Exitio. Misit diram hinc Germania pestem
 Omnia rapturam, poenis intenta ; Britannos
 Hinc metus invidiaeque furensque in pectore rumor
 Impulit in praedam. Sed nec te laeserat ullus
 Hostis, in externos ultro saepe arma gerentem
 Prospera, nec sacris iram prius intulit agris,
 Quam fortuna ducis secum detraxit in unam
 Perniciem cives. Geminato augescere regno,
 Sospite me, totamque Europae arcere valebas
 Foedere conjunctam molem et contemnere frontes
 Iratas, nec erant curae completa carinis
 Aequora, nec multo stipatae milite terrae.
 Indiscreta mihi crevit Fortuna tibiue,
 Gallia : laus eadem fuit, et victoria nobis

Affulsit paribus ; luctus mutata dederunt
 Fata subire pares ; una fas carpere tempus
 Venturum laudisque die gaudere renatae.
 Non aeterna manent natis et fixa parentum
 Vincula, sed rursus flamma tua fama relecta
 Lucescet, rursusque tua regnabis in urbe.
 Hoc ergo precor, hoc unum mi poscere capto
 Non vereor, solitumque hostilia temnere dona
 Unus amor pectus fastus temptare superbos
 Victorum precibus cogit : ne comprimat ossa
 Litus Atlanteum nil inventura quietis,
 At potius noto quondam mea Gallia caelo
 Accipiat, tandemque adamatae reddite terrae.
 Sic lapidem nostrum si quis de gente futura
 In patriae laetos natus spectaverit annos,
 Artificis laudabit opus, caelata per artem
 Nomina ; dumque videns haeret, dum pectus ad imum
 Gesta viri remeant, cujus cinis abditur infra,
 Has fortasse memor rumpet de gutture voces :
 “ Nil parvum potuit sperare ; infecta reliquit
 Pleraque ; partem aliquam confecit ; dignus et ille
 Cui lethen avidam defendat sculptile marmor.”
 Nec parcet lacrimis, et adempti surget imago,
 Qualis in Italiam primos latura triumphos
 Agmina deduxi, multos devincere paucis

Callidus, et reges docui se subdere civi.

Tum mihi sub Manes, si non restinxerit omnem

Mors animam, atque decus si non cum luce sub Orco

Praeteritum exuimur, veniet laetabilis aura

Dulcia verba ferens. Sic saxi pignora vivant,

Neu mea gesta, precor, taceant, quanquam ipse tacebo.